



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 31. Salviati Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

ditione comprehensus instructis iudicii actis laqueo aureo ad collum appposito, & marsupio vacuo suspendebatur, eaque appendebatur tabula cum hac inscriptione: *sine Moneta*, qua significaretur, non hunc esse Cardinalem Simonettam, ut se jactabat, sed grassatorem, qui tunc *sine moneta* erat.

## §. XXXI.

*Salviati Cardinalis mors.*

Ciacon.  
pag. 907.  
Aubery l. c.  
Sanmarth.  
Gall. Christ.

Quartus erat Cardinalis Bernardus Salviatus ex Nobili, & perantiqua Florentinorum familia natus, nam ejus Parentes erant Jacobus, & Lucretia Medicæa, Leonis X. Papæ Soror, ac Catharinæ Medicææ Franciæ Reginæ Matertera: insuper is fratrem habuit Joannem Salviatum Tranensem Episcopum, ac Cardinalem, qui Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio obiit. Porro Bernardus primo Melitensis Eques, & postea Prior Capuanus, ac supremus Prior Romanus, & denique Ordinis sui Archithalassus nominabatur, quò munere auctus maximam sibi comparaverat gloriam, ac nominis sui famam, quippe se Turcis omnino terribilem reddebat, cum Fagieranum alveum ingressus omnes arces, quæ ejus armis, ac com meatui obsistebant, in cineres redigeret.



ret. Alia quoque occasione, cum Melitenfibus copiis præeffet, Coronem Insulam, urbemque occupavit, & usque ad Galliopolitanum Fretum procurrens Chienfem Insulam incendit, pluribus inde abductis mancipiis. Postea ab ordinis sui Magistro Orator ad Carolum V. unacum Philippo Strozio, & Laurentio Rodulpho Barcinonem missus, pro patria libertate pugnavit, deinde vero in Gallias ad Catharinam Medicæam Reginam sibi sanguine junctam decretus ab eadem ad dimittendas profanæ militiæ curas, necnon ad vitæ pacatoris studium tam valida oratione monebatur, ut Clericali militiæ adscriptus, cedente Cardinale Joanne Salviato Fratre suo die septima Junii Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono S. Populi Episcopus in Galliis, ac postea Claromontanus Antistes Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo primo renuntiaretur. Demum ab eadem Regina Regis Matre majoris Eleemosynarii munus eodem anno obtinuit, necnon ad ejusdem preces, cum secunda haberetur Cardinalium creatio, a Pio IV. purpura decoratus est. Interfuit etiam Francisci Regni comitiis Anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Lutetiæ Parisiorum ce-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

Contra  
per. 1568  
Lutetia  
1568



Sæcul. XVI.  
A.C. 1568  
lebratis, necnon illis, in quibus ele-  
ctus est Romanus Pontifex Pius V., sub  
cujus Pontificatu Romæ feria quinta  
die sexta Maji Anno Incarnationis Do-  
minicæ millesimo quingentesimo sexa-  
gesimo octavo fatis cessit, ac corpus e-  
jus terræ mandabatur in Ecclesia sanctæ  
Mariæ supra Minervam.

§. XXXII.

*Castillioneus Cardinalis mortuus.*

*Ciacon.*  
*pag. 964.*  
*Aubery l. c.*  
*Ughel Ital.*  
*Sucra.*

Quintus erat Franciscus Antonius Ca-  
stillioneus Mediolanensis Filius  
unicus Hieronymi Castillionei in Se-  
natus Mediolanensi Præsidis, atque ex  
nobili hujus Urbis Castillionæa familia  
nati, ex qua etiam Cælestinus IV. Papa  
ortum trahebat. Ceterum Franciscus  
adhuc juvenis græcæ, & latinæ lin-  
guæ studio cum ingenti sollicitudine in-  
cumbebat, ac postea Papiæ civili, &  
Canonicæ jurisprudentiæ, necnon Phi-  
losophiæ, ac Theologiæ operam nave-  
bat, quin tamen hisce studiis ab arte  
poetica averteretur, qua plurimum de-  
lectabatur, eamque sedulo exercebat.  
subinde quædam poemata etrusco ser-  
mone elucubrans, quæ in Hieronymi  
Rufcellii collectaneis reperiuntur: post-  
modum sancti Abundii Abbatia insigni-  
tus benevolentiam Pii IV. Pontificis sibi  
conciliabat, a quo etiam primo Bobien-  
sem